



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De vitanda Inuidia. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

firmitatem humanam sæpè considerent, & varias huius vitæ calamitates sibi ante oculos ponant; vt ad humilitatem, reliquarum virtutum fundamentum, excitentur.

De vitanda Auaritia. Cap. XI.

VITANDAM esse Auaritiam, facile erit ostendere, cùm auaros valdè detestetur Dominus, cùm miserrimam vitam ducant; cùm cæteris hominibus, sibi ipsis in primis sint odiosi. Dicit immoderatã hanc habendi cupiditatem vitandam; Domini esse terram, & plenitudinem eius, diuitias in vsu, non in possessione consistere; iniquorum hominum vsurpationes appellandas, diuites esse ministros Dei, dispensatores, et œconomos, earum potissimùm rerum, quas in vnum coaceruari permittit, vt fidelitatis quorundam periculum faciat; alios eleemosynis in caelestem hereditatẽ recipiat, alios ob tenacitatem aeterno supplicio puniat. Quo loco verba Iacobi Apostoli, si placebit, explicabit: Agite nunc diuites, plorate in miseris, quæ euenient vobis, et addet verba S. Augustini, Vbi qui augent res perituras, vndè aeternas amittant.

De vitanda Inuidia. Cap. XII.

INVIDIAM filiã superbie esse nemo dubitat. cùm enim doleat inuidus bonis alienis, idè dolet, quia se illis dignum putat. Dicat Ecclesiasticus orator, nihil boni in se habere inuidiam, nisi quòd cruciat inuidentes: quod etiam Isocrates scripsit. Addet, esse sathana machinam, qua subdolos ille animarum nostrarũ hostis, humano generi insidiatur, præstantia etiam ingenia inuadit, virtutes contaminat, & rectam viuendi rationem peruertit.

C

Eius

Eius sororem esse detractionem, vitium grauisimū; quod oratorio quodam modo peius esse dixit sanctus Chrysostomus, quā corpus occidere. occidit enim detractor, & quasi dilaniat famam; quæ pluris est faciendā, quā vita.

De Luxuria. Cap. XIII.

DE Luxuria pluribus dicat, adimere vsum rationis, homines belluas efficere; eius comites esse pœnitentiam & infamiam, esse plerunquē pœnam peccati.

De vitanda Gula. Cap. XIIIII.

DE vitio Gula, quæ est inordinatus appetitus cibi, cūm dixerit, inculcet edendum, vt viuamus; non viuendum, vt edamus: paucis minimisq; contentam esse naturam: plures iugulasse gulam, quā gladium: saturitatem fame peiorem, vt sanctus probat Chrysostomus: gulam matrem incontinentiæ, et altricem egritudinum, ac multarum miseriarum esse. Acrius reprehendet pauperes, qui gula indulgentes, rem familiarem minuunt.

De vitanda Ira. Cap. XV.

IRAM vitandam probabit, quia est comes stultitiæ, inimica consilij, mater pœnitentiæ, nutrix iurgiorum, inimicitiarum, & variarum calamitatum: audienda illa verba beati Augustini: Volo vos irasci, vt non peccetis: vt autē non peccetis, quibus debetis irasci, nisi vobis? quid est enim homo pœnitens, nisi homo sibi iratus?

De Accidia vitanda. Cap. XVI.

CV M verò de Accidia vitanda sermonem habebit Ecclesiasticus orator, eam originem vitiorum nominabit,